Nr. 325.

Currenda X.

A. D. 1877.

Nr. 325.

Manuductio ad rite instruenda petita pro dispensationibus in matrimonialibus.

Longiori experientia teste, in petendis a Nobis varii generis dispensationibus multum per petentes erratur, et id generis petita male plerumque ac defectuose adstruuntur; per quod et negotium partium retardatur, et Officio diœcesano alioquin multum occupato, inanes scriptitationes causantur.

Huic malo medendi ergo consultum fore duximus, aliquod schema conficere, quo duce questionis petita bene adstruerentur, et Nobis labor alleviaretur:

I. Initium operis facit: *Examen sponsorum* ante proclamationes instituendum, pro quo rite instituendo habetur manuductio in II. Notificatione Nostra typo impressa ex anno 1845.

Passus ex ea huc pertinens sequentibus absolvitur:

a. inquirendum in hoc examine, an et quale impedimentum fors obstet? an sponsalia, justitia publicae honestatis, cognatio spiritualis, consanguinitas, affinitas? et quo in gradu? quod per libros metricales et per testes cognoscetur.

b. utrum dispensatio optabilis et necessaria et quare? num speranda foret? et quibus adminiculis petenda?

c. sponsi separatim et occulte sunt interrogandi: an non obstet ipsis impedimentum quodpiam occultum? v. g. impedimentum criminis vel affinitatis e copula illicita? contra quod maxime et saepissime peccatur, et matrimonia invalide contrahuntur — quia nupturientes autumant, hoc non impedire, et Curatus negligit, eos desuper examinare — qua occasione ipsis aperiendum, matrimonia cum talibus impedimentis contracta etiam coram Deo esse nulla. Si examen hoc per Curatum rite institutum fuerit, facile patescet: an et quale impedimentum obversetur? hoc detecto, videndum, quis sit dispensans? Episcopus an Papa? quia petitum ad personam dispensantis stylisandum. Quoad punctum hoc multum errant Curati; non Episcopale Consistorium qua tale dispensat, sed nonnisi Episcopus qui a S. Sede apostolica ad hoc authorisatur: hinc non ad Consistorium sed ad Consistorii Praesidium petitum est stylisandum, quod paucissimi observant; plerumque petitum

ad Episcopale Consistorium stylisant, quod non convenit. — Etiam tunc ad Consistorii Praesidium petitum est stylisandum, quando impedimentum tale habetur, super quo nonnisi S. Sedes apostolica dispensare potest; hoc solo cum discrimine, quod posteriori in casu petatur, quatenus Consistorii Praesidium necessariam dispensationem apostolicam benigne procurare dignaretur.

2. Advertendum: an necessaria sit *marca tymbralis* vel non? in hoc plurimi errant et tamen clarissima desuper habetur notificatio in Currenda X. ex anno 1873 pag. 72. Haec notificatio ita sonat: *podania stron wystósowane do Konsystorzów o dyspenzę od przeszkód małżeńskich* **czysto kanonicznych** *nie podlegają należytości stemplowéj.*

Regula generalis sequens servire posset: quotiescunque dispensatio etiam ab alto Regimine peti debeat (inspice Curr. XI. ex anno 1868 pag. 86, passus ita sonat: *si cum impedimento canonico etiam impedimenta e. g. consanguinitatis vel affinitatis in II. gradu aequali, vel inaequali conjuncta fuerint, necessaria etiam erit dispensatio a respectiva instantia civili)* marca est necessaria pro petito ad Consistorii Praesidium.

Marca, si est necessaria, non ex parte sinistra petiti, sed pro prima lineola ipsius petiti est adhibenda; alias petitum pœnæ subjacet ita, ac si marca adhibita non fuisset.

3. Ut *schema* rite conficiatur; etiam in hoc puncto magna inscitia proditur, vel gradus false numerantur, vel ipsum impedimentum male notatur; loco affinitatis saepissime consanguinitas ponitur, et vice versa.

4. Sequuntur *rationum momenta* seu *motiva* e quibus dispensatio petitur; haec possunt esse:

a. causae vere canonicae, vel

b. sic dicta motiva impulsiva.

Causae vere canonicae vocantur, quibus dispensans ad indulgendam dispensationem movetur; impulsiva vocantur, quae efficiunt, ut dispensatio e causis vere canonicis facilius concedatur.

Dispensandi causae in regula *e parte sponsae* desumi solent; unde regula: preces pro foro externo conficiendae sunt a parocho sponsae, quia hic tantum causarum vim et veritatem perspicere potest. — Nonnisi e justis et gravissimis causis conceditur dispensatio. (inspice: Notificationem Nostram typo impressam ex 11. Nov. 1833 N. 2761, ex 21. Julii 1834 N. 1488, et pluries).

Tenor harum notificationum est sequens:

1. *dispensationes ab impedimentis I. gradus vel IIdi tangentis Ium consanguinitatis vel affinitatis tantum ob graves causas in Concilio Tridentino et constitutionibus Benedicti XIV. expressas, Beatissimus Pater est elargiturus.*

2. *nonnisi gravibus rationibus* **canonicis** *subversantibus in propinquioribus casibus, in specie vero in II. mixto III. gradu consanguinitatis vel affinitatis recurrant ad Consist. Praesidium, et quavis vice circumstantias subversantes, momentaque petitionis adducant.*

Causae vero canonicae enumerantur in Currenda I. ex anno 1857 pag. 10, Curr. VIII. ex anno 1867 pag. 62. et seq.

Sunt autem sequentes:
angustia loci — incompetentia dotis — bonum pacis, seu exstinctio gravis inimicitiae, aut litium — oratrix filiis gravata — aetas puellae superadulta — periculum seductionis — conservatio bonorum in eadem illustri familia — conservatio illustris familiae in eodem sanguine — excellentia meritorum in ecclesiam — ex certis rationabilibus causis. —

Ad eas notatur:

1. *ad angustiam loci*; si mulier viro non consanguineo vel affini nubere potuit et renuit, jam non est angustia loci — de viro haec causa plane non valet. Angustus dicitur communiter locus, qui 300 focos seu numeros domuum non attingit.

2. *ad incompetentiam dotis;* si mulier pauper occasionem habebat nubendi viro juxta status sui conditionem, simul autem dives consanguineus vel affinis eidem mulieri nuptias offerat — tunc spreta illa occasione ad matrimonium cum divite consanguineo contrahendum non potest adduci dotis incompetentia.

3. *ad bonum pacis;* si lites super rebus magni momenti inter ipsos oratores, sive inter eorum parentes, consanguineos et affines exortae sint, quas, certum est, per nuptias componi posse — debent prius componi, alias dispensatio foret invalida.

4. *oratrix filiis gravata*;

a. si nimirum vidua, quae e priori conjugio plures susceperit filios, nec ad eos alendos sufficientes possideat opes, nubere intendat viro consanguineo vel affini, qui promisit, se sub conditione matrimonii liberos alere atque educare velle, ac simul hisce promissis adimplendis est par.

b. si vidua est indigens, ac plures habens proles, qui suapte industria victum quaerere ac matrem juvare nondum valent.

c. oratrix gravata est liberis, ob quorum nutritionem et educationem denuo matrimonium necessario inire debet. Cum vero valde sit indigens (parvum solummodo praedium rusticum possideat) difficile omnino est, ut alium, cui nubat, virum inveniat — orator autem consanguineus vel affinis, eandem nihilominus ducere intendit, hisque omnino par est, ut vel opibus, vel manuum industria liberos praefatos sufficienter alat atque nutriat.

Ex hac causa dispensatio etiam in I. affinitatis gradu conceditur, maxime inter homines agrestes et agricolas, inprimis si accedat, quod orator jus habeat vel permanendi sub eodem tecto cum oratrice, vel si discedere voluerit, exigendi aliquam bonorum partem, quam tamen exsolvens, oratrix nimium gravaretur.

Filii enumerentur cum expressione aetatis, nam causa nulla, si filii jam adulti.

5. *aetas superadulta* (si annum 24 aetatis excessit) pro vidua non valet.

6. *ob excellentiam meritorum,* (in Ecclesiam) quam sibi vel ipsi oratores, vel eorum familiae paraverint, v. g. liberalitas in Ecclesiam et pias causas, dimicatio contra Ecclesiae hostes, scriptis pro Ecclesia editis;

7. *periculum seductionis* i. e. si in loco domicilii oratorum major incolarum pars sint haeretici, et adjuncta ita sint parata, ut inde periculum insurgat, ne oratores, denegata dispensatione, cogantur aut caelibes permanere, aut haereticum ducere; id autem e catholicorum paucitate resultare debet, difficillimum fore, ut oratores a matrimonio mixto praeserventur.

8. ex certis rationalibus causis; v. g. oratrix est vidua unica prole gravata, modestum possidens praedium rusticum, ad ipsam cum prole enutriendam sufficiens. At a pluribus annis adhuc ante viri sui mortem cum oratrice sub eodem tecto habitat orator in II. gradu affinis, cui quidem jus ibidem manendi, vel si discedere voluerit, certa pecuniae summa ex praedio competit. Accedit, quod oratricis socer, vir morosus et ad iram pronus nuptias suadeat.

Quod si orator alias appetens nuptias, discederet, id cum damno oratricis eveniret ita, ut praedium debitis gravare cogeretur, nec non socero offendiculo foret.

Causae *non canonicae* sunt sequentes:

1. quod oratores sint homines pii ac devoti, eximiique fidei cultores, — oratores praecise id praestant, quod nomen catholicum ab ipsis requirit.

2. quod oratores intendant aliquod donum eximium Ecclesiae parochiali, vel pio instituto tradere, modo ipsis dispensatio concedatur. — Quasi venia Ecclesiae proemiis comparari posset.

3. Quod oratores, nisi dispensationem impetraverint, in periculo animae versentur, siquidem pergent familiariter inter se conversari. — Hoc periculum voluntarium est, consequenter dispensationis impetratio a pertinaci voluntate oratorum dependeret — quod fieri nequit.

Aliud esset, si proxima peccandi occasio removeri vel omnino non, vel difficillime posset e. g. Titius cum Bertha fratris vidua sub eodem tecto cohabitat, utpote jus habet ibidem manendi et absque damno notabili tum sibi, quam Berthae parando discedere nequit.

4. quod oratores vehementi invicem amore sint incensi. - Amor sensualis, nutritus contra Ecclesiae leges, peccaminosus, adeoque repellendus; gratia divina poterit devinci.

5 quod perdifficile sit, ut oratrix alium virum tam insignis conditionis ac tantis bonis praeditum inveniat. — Ecclesiae gratia non conceditur ad comparandas opes et honores. —

6. quod oratores sponsalia bona fide contraxerint — falsum — non praesumuntur bona fide facta cum conscientia impedimenti contracta.

7. quod oratorum parentes ac familiae matrimonium vel maxime suadent.

8. quod oratores habitent in regionibus, ubi adsunt protestantes; quam ob rem possibile est, ut ducant protestantem. — Haec possibilitas nihil valet!

Ponuntur autem causae canonicae ordine sequenti:

a. primo loco ponitur ratio canonica gravissima, v. g. sponsa est una e magno numero liberorum — parentes opibus non florentes — gauderent, si filiam aliqua dote nuptui dare possent.

b. viduus prolibus onustus debet pro re domestica curanda matrem familias quaerere.

c. vidua, si est liberis e priori matrimonio onerata, et habet rem oeconomicam curandam, debet ad secundas nuptias transire, quia viri auxilio indiget.

Si talis vel similis gravis ratio canonica habetur, tunc possunt etiam impulsiva adponi; v. g. ipsum oratorem esse aliquo modo diffamatum, indeque non facile praeter oratricem inventurum esse uxorem, qua tamen indigeat ob liberos e priori conjugio educandos; oratores pro Ecclesia non pauca conferebant, et similia.

Ad legitimam dispensationem super impedimento mixtae religionis duo requiruntur:

a. cautiones opportunae, et

b. causae graves; uno deficiente, alterum non sufficit.

Primarium requisitum sunt cautiones de amovendo a parte catholica perversionis periculo; de conversione conjugis acatholici, et de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda.

Secundarium: causae canonicae.

Causae sat graves sunt, quae ad publicum magis bonum conducant v. g.

a. si probabilis sit spes, ut familia acatholica ad veram fidem inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam catholicam revertatur.

b. si matrimonium mixtum unicum sit medium, ut liberi jam ex alio matrimonio mixto procreati, in religione catholica educentur.

c. si magna scandala ex diffamatione, gravidatione, vel alio modo oritura evitari nequeant, nisi per matrimonium mixtum.

Causae vero, quae privata commoda magis respiciunt, v. gr. aetas superadulta, angustia loci, dotis incompetentia, bonum pacis, sponsalia bona fide contracta, ob quae timendum foret, ut innupta ac diffamata remaneret sponsa, de sensu s. sedis non facile per se sufficiunt. Uberior instructio de matrimoniis mixtis habetur in Curr. IV. ex anno 1843.

Ex hac punctum sub litt. *i*) commendamus observandum, quod ita sonat: mutatio habitationis ejusmodi conjugum, fine manutenendae superinvigilantiae, semper Consistorio indicanda.

Nunc quaedam adhuc enucleationes:

Caveat parochus, ne essentialia in precibus exponat, quae non existunt — neve quæ revera exprimenda sunt, reticeat — aut enim reticetur aliqua circumstantia, qnae necessario exprimenda erat in litteris supplicibus, et tunc nulla est dispensatio propter *subreptionem*; aut in re essentiali narratur aliqua circumstantia, quae non existit, et tunc invalida est dispensatio propter *obreptionem*.

Si nupturientes ad duas dioeceses pertinent, dispensatio ab Episcopo unius partis concessa sufficit, nam sublatum est impedimentum. Persona, quacum v. gr. super gradu prohibito dispensatum est a proprio Episcopo, jam de jure desinit esse consanguinea vel affinis. Atqui altera pars non dioecesana valide omnino potest contrahere cum persona, quae ipsi non est consanguinea vel affinis; ergo dispensatio concessa ab unius partis Episcopo pro altera etiam parte valet. Cum vero dispensationis causae e parte sponsae

desumantur, regulariter etiam ipsa dispensatio ab Episcopo sponsae erit petenda. Episcopi dispensatio e facultate s. sedis concessa absque gravi et justa causa, foret nulla — nam sub conditione gravis et justae causae conceduntur.

Pro foro interno vel scandalum evitandum, vel bonum prolis, vel periculum animae pro causa dispensandi allegetur, modo nuptiae bona fide contractae. Concil. Trident. Sess. 24 de reform. matri. Cap. 5.

Si oratorum alter, vel uterque est viduus, respective vidua, semper allegetur:

a. ex quo tempore in viduitate vivat,

b. num, et quot liberis sit gravatus, vel gravata, et cujus aetatis hi sint,

c. quae rationes secundas nuptias suadeant, vel necessarias reddant,

d. quid obstet, quominus alii non consanguineo, vel non affini nubat,

e. quare necessitetur consanguineo vel affini nubere, numque haec necessitas non sit studio quaesita, seu causata.

Per expresse ad Consistorium missos non licet dispensationes matrimoniales petere Notific. II. ex anno 1837 N. 115.

Curati non audeant titulo procurandarum dispensationum a partibus quaspiam expensas exigere, nisi legales taxas. — Ibidem.

Curati cum sponsis, dispensationem a proclamationibus petituris, examen e religione instituant, et testimonium desuper petito adponant. Notific. VII. ex anno 1838 N. 3029.

Proceduram cum personis, quae pro conjugibus habentur, at non sunt, si secreto dispensari et copulari desiderant, invenies in Notificat. II. ex anno 1839 N. 1109 est sequens: In Fällen, wo zwei Personen getraut werden sollen, von welchen früher, daß sie schon getraut sind, vermuthet wurde, hat ihr Seelsorger wegen gänzlicher Nachsicht des Aufgebothes unter Vorlegung des in seiner Gegenwart abgelegten Eides, das zwischen ihnen kein Ehehinderniß obwalte, sich an seinen Ordinarius zu wenden.

Dem Seelsorger wird gestattet, in besonders rücksichtswürdigen Fällen auch um die Dispens von einem trennenden Ehehindernisse bei Personen, die für schon verheirathet gehalten werden, es aber nicht sind, bei dem Landes-Präsidium mit Angebung der Namen und Umstände durch die Ordinariate einzukommen. (Notif. II. ex anno 1845 sub N. 1007 et 1009) — Curr. IV. ex anno 1855 N. 1137.

Ubi matrimonium mixtum erga reversales de educatione prolium in religione catholica contrahitur, respectivo pastori evangelico instantanee indicandum est. Curr. V. ex anno 1853 N. 546.

Formula juramenti in manus parochi deponendi, quod dispensandis a bannis nullum impedimentum obstet, habetur in Curr. IV. ex anno 1855 N. 1137. — Curr. I. ex anno 1857 pag 11. 12. — Tenor ejus sequens:

Ich N. N. schwöre zu Gott in Wahrheit, und ohne Arglist, daß ich frei und unverheirathet, und mit Niemanden ehelich versprochen bin, als mit meiner hier gegenwärtigen Braut N. N. (meinem hier gegenwärtigen Bräutigam) und mir auch kein

anderes obwaltendes Ehehinderniß bekannt ist, wegen dessen unsere Verehelichung unerlaubt und ungültig wäre. Dieß beschwöre ich, so wahr mir Gott helfe und sein heiliges Evangelium.

Polonice: Ja N. N. przysięgam P. Bogu Wszechmogącemu w Trójcy Ś. Jedynemu, Wszechwiedzącemu, oraz Najświętszemu i Najsprawiedliwszemu Sędziemu całego świata, w prawdzie i bez podstępu, że jestem wolny i bezżenny (wolna i nie zamężna), z żadną inną (z żadnym innym) nie zaręczony (nie zaręczona), jak tylko z obecną tu N. N. oblubienicą (z obecnym tu N. N. oblubieńcem moim) że mi również żadna nie jest wiadoma kościelna, lub jakakolwiek inna przeszkoda małżeńska, dla którejby niniejszy nasz związek małżeński nie był dozwolonym i nieważnym. To zaprzysięgam i tak mi dopomóż Panie Boże i święta Ewanielia!

Sponsus dum jurat, tres digitos manus dexterae elevatos tenet, sponsa autem super pectus manum dexteram ponet.

Convalidatio matrimonii quomodo institui debet Curr. I. ex anno 1857 pag. 14. 15. 16. Benedictus XIV. sequentem proponit modum:

reus dicat comparti: equidem in matrimonium nostrum non rite consensum praestiti, quare Conffessarius mihi dixit, pro matrimonii validitate omnino necessarium esse, ut consensus inter nos renovetur.

Modus hic aequitati consentaneus videtur, nam conjux ignarus matrimonium irritum agnoscit, non tamen crimen notum efficitur, ex quo consecutum est impedimentum, neqne ullum mendacium admiscetur, quippe certissimum est, primo matrimonio haud rite traditum fuisse consensum, neque a veritate abhorret, si impedimenti conscius affirmaret, primo matrimonio se nequaquam consensisse; nam verus consensus dici nequit, qui rite praestitus non fuit.

Matrimoniorum sanatio in radice Curr. I. ex anno 1857 pag. 16.

Sanatio matrimonii in radice, quia pertingit apicem potestatis pontificiae — solius est Pontificis. — Sub die 15. Januarii 1857 sanabantur in nostra dioecesi vi delegationis pontificiae matrimonia usque ad illum diem inita cum impedimentis absque necessaria dispensatione; cognationis spiritualis, justitiae publicae honestatis, affinitatis e copula illicita, consanguinitatis et affinitatis in gradu 3 et 4 etiam tangente 2.

Proclamationes non fiant prius, donec impedimenta tollantur. Curr. XI. ex anno 1860 pag. 79.

Cuilibet petitioni in objecto dispensationis taxa omnibus nota acclusa esse debet, secus petitum absque effectu restituetur. — Cur. X. ex anno 1863 pag. 77.

Monita circa matrimonii impedimenta et motiva, et attestatio pro dispensatione romana obtinenda Curr. V. ex anno 1864 in fronte.

Matrimonia inter incestuosos ineunda dissuadeantur Curr. X. ex anno 1864 pag. 73.

Non parochiani, sed parochi petant dispensationes in matrimonialibus Curr. XXI. ex anno 1866 in fronte.

Pro cognatione spirituali elucubratio habetur in Curr. IX. ex anno 1867 pag. 69.

Taxae romanae pro dispensationibus in matrimonialibus, quas Agentia austriaca Romae degens requirit, specificantur in Curr. XXI. ex anno 1868 pag 167.

Non satis est aliquando explicare consanguinitatis gradum, etsi explicetur, eum esse inaequalem, sed si inaequalitas oritur ex eo, quod femina sit stipiti proximior, est quoque id explicandum, alias erit subreptitia dispensatio; — nam, cum tunc femina sit amita, vel matertera viri, multo absurdius es hoc testimonium. Sanchec.

Si quis cognoscit sororem suae sponsae, neutram sine dispensatione ducere potest; non sponsam propter affinitatem e copula illicita; non sororem ejus propter impedimentum justitiae publicae honestatis e sponsalibus Ligouri Homo apostol. Tr. 18 n. 67.

Juxta decretum Clementis XI. confirmatum a Benedicto XIV. parochus non debet ad publicationes procedere, nisi prius examinet sponsos, et sufficienter eos in rebus fidei instructos reperiat. Ligouri: Homo apostol. Tr. IV. de Sacram. in genere Cap. I. nota 6.

Communi omnium consensu, et juxta Synodum Tridentinam Sess. 24. Cap. 5 de reform. Sess. 25 Cap. 18 de reform. nulla unquam dispensatio concedi solet, nisi legitima causa intervenerit. Lambertinus instit. 87.

Episcopum considerare oportebit, utrum justa atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis, ut non privatorum hominum duntaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet. Pius VIII. Ad omnem dispensationem requiruntur justae causae, alias erit illicita, non raro etiam invalida, praesertim, si quis Pontifice inferior dispensat. Instructio Eichstadensis.

Dispensandi de vitanda interim familiari conversatione serio per curatum sunt monendi et obstringendi, ut ante benedictionem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, ac solius cum sola conversationem per parentes impediat; id enim sine maximo animae periculo esse non potest. Conc. Trident. Sess. 24 Cap. I. de reform Ligouri Homo apost. Tr. 7 n. 32 § 75 jus. matr. eccl. Si nuptiae celebrandae sint ad prolem legitimandam. scandalum reparandum, vel honori sponsae providendum, datur dispensatio, si aliter his malis non possit occurri. Declaratio S. Con. Conc. de 4. Martii 1701.

Matrimonium subsequens legitimat prolem antegenitam; non tamen ex adulterio. Luc. Fer. Tom. V pag 556. Tanta enim inquit Alexander III. est vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eam duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab haereditate repellendus; praesertim, si in mortem prioris uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. Cap. 6. X. qui filii sint legitimi 4, 17. — Unde de jure canonico unica adest exceptio, quod adulterini per subsequens matrimonium inter adulteros non adquirant legitimationem: ceteri autem omnes peccaminoso coitu procreati, etsi incestuosi fuerint, efficiuntur legitimi, quoties parentes eorum postea valido matrimonio junguntur. — Extenditur etiam ad liberos naturales jam mortuos, consequenter ad eorum filios superstites.

Monitum ad parochum! Curr. I. ex anno 1857 pag. 14.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae, die 26. Aprilis 1877.

JOSEPHUS ALOJSIUS,

EPISCOPUS TARNOVIENSIS.

Tarnoviae 1877. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.